ANTONII DE LUSCHIS

CARMINA

QUAE SUPERSUNT FERE OMNIA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLVIII.

SUMPTIBUS JO. A SCHLEDO

VIRTUOSO ATQUE FORTISSIMO MILITI SINGULARI

DOMINO GALEATIO DE GRUMELLO

HORTATORIA

UT PUGNET FORTITER IN DUELLO

ET VICTO VITAM DONET.

Miles ab audaci dura in certamina Gallo
Ecce vocatus ades, Latiae decor inclyte linguae.
Anne tuos, nostrosque simul pateris honores,
Italiae famamque premi? Tu semper ad oras
Ausoniae, varii referens decora ampla duelli,
Et modo ab occiduo, modo littore victor eoo,
Victor ovans, titulisque novis spoliisque superbus
Antiquam repetis patriam terrasque beatas.
At nunc cum mediâ te te ipse videbis in armis
Italiâ, quid ages? quantum tua fortia praesens
Pectora punget honor, vultusque atque ora tuorum!
Si tibi jussit amor, facies si saepe pudicae
Virginis, erectâ concurrere fortiter hastâ;
Quantum animi ad vires, quas pro se Gallia primum
Sensit, et ipsa suum mirari coepit in hostem,
Addet amor patriae, quae quondam saepe triumphos
Hac ipsâ de gente tulit, Gallosque feroces
Stravit humi, seu bella truces aciesque moverent,

Sive Italos contra saevo certare duello
Auderent! Fuit haec ausis fortuna duobus
Una olim. Galli et virtus Romana cruento
Certabant bello, vicinaque castra tenebant.
Pons erat in medio, magnis quem vocibus ingens,
Tela manu quatiens fulvo spectabilis auro,
Occupat, et tacitos vocat in certamina Gallus.
Quem modo Roma virum praestantem viribus audet
Inde offerre mihi, ut gens utra potentior armis
Experiamur? ait. Paulum siluere Quirites:
E quibus egregiâ generosus origine Titus
Manlius Hispano gladio scutoque pedestri
Prosilit armatus, Gallumque obtruncat, et illi
Abstulit auratum moribundo a pectore torquem;
Atque ita Torquatae fuerunt cognomina genti.
Nec semel haec nova bella iterum vetus ira parabat;
Barbara nam vani semper gens illa furoris
Plena fuit, semper virtuti inimica Latinae.
Jamque domari hostes longâ obsidione videbant
Romulei, et se se tutâ statione tenebant;
Cum subito ante oculos, nitidisque sonantibus armis
Extulit, et pugnam tumidâ cum voce poposcit
Gallus, quem contra sumpsisse Valerius iras
Dicitur, atque hostem ferro jugulasse superbum.
Di quoque terribilem Gallo imposuere timorem.
Corvus enim (si vera canunt) descendit ab alto,
Et stetit aut alis, aut casside sedit amicâ
Versus in hostilem faciem vultusque furentes,

Donec agens rostro vel acutis unguibus illum
Terruit: inde volans tenues Orientis ad auras
Liquit humi meritâ prostratum caede jacentem.
Inde domum gentemque suam dixere priores
Corvinam, cui prima dedit cognomina corvus.
At tibi nulla ferat belli in discrimine tanto
Ales opem: satis est propriis in viribus; et jam
Angelus aethereo melior descendit Olympo.
Ille tibi ingentes animos dextramque potentem
Diriget, et trepido speciem necis offeret hosti.
Ergo age, jam gelidâ Gallum pro morte timentem
Fulmineâ prosterne manu: sed parce fatenti
Se victum, vitamque, precor, pro munere dones.
Aestuat ille amens irâ; mortemque minatur
Sanguinis ista sitis. Lethi sitis ista cruenti
Saepe et ad imbelles magnâ virtute triumphum
Transtulit, et vereor (si jam pars ulla timoris
Esse potest) quoniam morti novisse subactum
Diceris. Ista velim linquas vota impia Gallo,
Vota per insanas vento spargenda procellas.
Adde quod ad titulum gratae pietatis, acerbum
Si victum bello et fractum servaveris hostem,
Major honoratum attollet tibi gloria nomen.
Illum insultantem contra, tumideque loquentem
Aspicient gentes, catuli te more sequentem
Victorem, et Dominum te fractâ voce fatentem.
Occurrent Italique duces Italaeque puellae;
Atque illum quoties gestantem vincula collo,

Nunquam oculos imâ cernent tellure levantem,
Ante salutato dicent tum talia Gallo:
« Galle ferox, illo famosa in pectore virtus
Jam primum insanos poterat cohibere furores:
Nam furor ille fuit. Tua te dementia, Galle,
Perdidit infelix, cum te prius obtulit hosti,
Qui tibi nunc placidae non ruperat otia vitae. »
Talia saepe ferent: tu servi in corpore dignas
Fige notas, manuum monimentaque certa tuarum.
Ut cum inter Gallos illum populosque loquaces
Ostendent memoremque tui, memoremque duelli,
Signabitque virum merita atque inhonesta cicatrix,
Seu Polyphemus erit, nasum seu truncus et aures,
Agnoscant timeantque Itali vestigia ferri.
Ac velut Herculeos alii cecinere labores,
Ipse canam pugnasque tuas titulosque superbos.
Sed tibi cum validis alius mucronibus acres
Donat equos, alii clypeos galeasque micantes;
Ipse tibi aeternum famae melioris honorem
Polliceor. Tibi nunc animos hortantia magnos
Carmina, et affectum, si quis foret usus in illo,
Doque feroque libens, et vota precesque Deorum
Auribus, atque utinam tua sit victoria! solvam.
Non ego solus ero: celebrabunt sacra frequentes
Italiae populi, sed enim super omnia laetae
Jam Superis promissa colent sua vota puellae.

AD PROBATISSIMOS ET SINGULARES VIROS

DOMINUM NICOLAUM DE SPINELLIS

COMITEM JOE ET MAGNUM REGNI SICILIAE CANCELLARIUM,

ET

CAVALLIUM DE CAVALLIS

CONSILIARUM ET SECRETARIUM ILLUSTRISSIMI COMITIS,

ORATORES IN GALLIIS,

LUSCHI ANTONII VICENTINI

EPISTOLA EXHORTATORIA

GALLICI DUCIS IN ITALIAM TRANSITUS.

Fama per Italiam celeri delapsa volatu
Occidui de parte poli rumoribus urbes
Afficit hic varie, stimulisque calentibus illae
Suspirant: aliae trepidant formidine gentes,
Aurea vipereis quod lilia vinximus armis.
Namque ferunt celso Francorum a sanguine Regum
Esse ducem, quem si Latias trasmittat in oras
Gallia; non illic tam magna negotia Caesar
Robur agens Italum et Romani nominis umbram,
Lustra duo, quanta hic gemino confecerit anno.
Cernite tantarum, Patres, jam semina rerum
Italico foecunda solo; jam germen in auras
Spargitur; ex illo flores jam legimus agro,

Unde opus est Latiae fructum sperare salutis,
Si qua salus speranda. Itali, quibus omnia quondam
Concessere Dei, late quos arma ferentes
Novit uterque polus, et solis utrumque cubile;
Hei mihi! jam summo rerum de culmine lapsi,
Gallorum auxilia et victricia poscimus arma:
Poscimus imperium vario quod sidere dudum
Jactatum, et semper meliori a sede revulsum
Saeva diu gelidâ tenuit fortuna sub arcto.
Illud enim postquam Latio sub sanguine nobis
Invidit fortuna ferox, aliàque petendum
Gente venit (namque externis crescentibus armis,
Sic premit Ausonios vecors discordia cives);
Lucida Carulei tollant super astra nepotes.
Sic eat: in Latium veniat Dux, plenus avorum
Majestate, potens armis, Italamque cruore
Germano depingat humum, si forte movebunt
Castra truces aquilae, atque arctoae in nostra phalanges
Arva ruant: tantarum equidem stat ut alea rerum
Hesperia, et tanti sedes erit obvia belli,
Et decus et pretium; quod si sic Marte petendum est,
Haud minus ille tamen pariturum in saecula famam
Aggrediatur iter. Veniat modo, cuncta jacebunt
Adventu perculsa suo, populosque rebelles
Sternet humi. Pars Italiae, pars magna potentum,
Exoptata diu postquam nova signa videbunt,
Accipient avidi imperium, laetique sequentur
Virtutem famamque Ducis, quae sparsa per oras

Ausoniae miro populos implevit amore.
Adde quod hic multae sic se civilibus urbes
Exagitant furiis: odia intestina trucesque
Sic caluere diu diversis partibus irae,
Ut magis alta velint alio venientia mundo
Sceptra aliena pati, quam libertatis iniquae
Pondus, et infaustos inter se agitare tumultus.
Vos quoque nunc patriae duo candida sidera nostrae,
Principe sub Ligurum qui Gallica signa movetis,
Dividite ecce solum Latii, et quid ubique timendum
Sperandumve Duci nostris contingit in armis,
Discutite. Ante alios generosi occurrat imago
Principis Italiae, quem sanguis et alta vetustae
Anguigerae fortuna domus super aethera tollunt.
Jam socer illi animum caro cum sanguine junxit;
Junget et arma potens, nec enim pietate vel armis
Major in Hesperià, nec opimi finibus agri
Amplior, aut magnâ ditione potentior alter:
Una licet Tuscâ urbs coquat in regione venenum
Acre odium, et vanam, mordens sine viribus, iram.
Neve illum magno venientem in regna parata
Fata premant patrui, nec amici funeris umbrae
Terrificent. Venere etiam Scipionis ad aures
Funera paucorum spatio disjuncta dierum
Et patris et patrui. Luctu perculsus acerbo
Extulit ingentes animos: ea fama Quirites
Fregerat. E tanto quaerebant ordine patres
Quem dignum Hispano possent praeponere bello.

Ille sed impavidus non fata domestica dirum
Sumpsit in auspicium; stimuli sed laudis et irae
Accendere virum, cunctisque silentibus infit:
«Mittite me, et duro, Patres, praeponite bello.»
Unde pavor trepidos animis dejecerat altis,
Illum ardens virtus, illum spes magna triumphi
Erigit: ille ultor patriaeque domusque ruinam,
Qui prius intulerant, tumidos reflexit in hostes.
Visa nec Annibali cervix abscissa cruentis
Crinibus, et fractae jam consulis arte catervae
Fratris ab ingenti poterant avertere coepto.
Illum sed patriae tantum mandata jubentis
Evulsere solo Italiae, mala fata querentem,
Oraque cum lacrimis possessae ad litora terrae
Vertentem, infidos hominesque Deosque vocantem.
Territet haud Gallos Itali vox illa superbi;
Scilicet Italiam Gallis praestare sepulcrum.
Credo equidem, quicumque domi matura sepulti
Fata manent, haud externae telluris egentes,
Efflabunt patrio vitam sine nomine coelo.
At quibus imperium est et fortia praelia cordi,
Hi jaceant quocumque solo. Dedit ipsa ferentem
Ad Superos natura viam: nec rectius alter
Venerit a Zephyro, nec rectius alter ab Euro:
Unum iter in coelum est. Vario sub tramite vitae
In decus et titulos et inertia tendimus ipsi
Otia; nec luxu, nec inanis honore sepulcri
Fama viget magnis quaesita laboribus ingens.

Nos quoque cum bellis tremefecimus omnia nostris,
Nostraque in immensum cum funera sparsimus orbem,
Italiae fortuna fuit, fuit inclyta mundi
Roma caput, fuit imperii domus ista potentis.
At modo cum segnes tantum maria inter et alpes
Clausimus arma Itali, nec nostra cadavera dudum
Ignotae pascuntur aves; aliena timemus
Imperia: at cineres cum Gallica terra Latinos
Texit, honoratos tunc praestitit illa triumphos.
Ergo libens Latias veniat metuendus in oras.
At nimias culpate moras, stimulosque volenti
Incutite, et veris accendite pectora flammis.
Unum equidem, quando in Latiis dominabitur oris,
Aurea tranquillae componens saecula gentis,
Seu bellum gerat, et duris fervescat in armis,
Admonuisse velim: sed Apollinis ore locutum
Credite. Siderei nec Numina temnat Olympi,
Ultima Pontificis veniat nec cura Supremi.

Ticini XXIII Octobris

Vester Antonius Luscus Vicentinus.

AD CONSPICUUM VIRUM

PASQUINUM DE CAPELLIS

SECRETARIUM ILLUSTRISSIMI DUCIS MEDIOLANI
BREVIS SIGNIFICATIO LUCTUOSAE PROSOPOPEJAE
SUB NOMINE CIVITATIS FLORENTIAE SECUM DOLENTIS
QUOD LILIA GALLICA
CUM VIPERA LIGUSTICA SINT PERMIXTA.

Natus in Italiae est medio flos aureus agro,
Qui vel ad extremas terrarum sparget odores,
Quum primum in Latium Zephyrus spiraverit orbem.
Nigra sed arctois avis exceratur ab oris,
Evulsura solo, propriis nisi amica sub antris
Hunc colat, et dulci florem sibi nutriat undà
Vipera. Coelestis color huic, color aureus illi:
Coelestique solo firmà radice tenetur
Ille, sed haec niveo vivax micat ardua campo,
Sanguineumque premens medià mordacibus alvo
Dentibus ipsa virum, populos et litora circum
Terret hians. Sed enim junctis magis impulit armis
Res nova purpureis ornatam floribus urbem,
Floribus ornatam, nomenque ex flore tenentem,
Aerios inter colles in valle sedentem
Etrusca, et circum fastu vicina prementem.

Valle sedet lacrymans magnum confessa dolorem,
Plena metu, et tales secum jacit ipsa querelas:
«Hei mihi! nam videor miseri praesagia luctus,
Et sentire graves bellorum instare tumultus;
Unde ego, nam volui, merito passura ruinam
Pertimeo, aut duros magnâ cum strage labores.
Cernitis occiduo glomerari in litore nubem?
In caput illa meum multo cum turbine nimbos
Sanguineos sparsura cadet, nostrasque cruentâ
Grandine tundet opes. Euri, prohibete volantem
In Latium, et tantam, Boreas, averte procellam.
Vos quoque de summâ regione micantis Olympi,
Coelicolae, qui fertis opem mortalibus, illam
Ferte alio, et Tuscâ venientem avertite terrâ.
Vertite ab excidio terrae florentis; et urbem
Illustrem, egregiis pulsantem sidera factis,
Justa precor, servate Dei; si talia nondum
Invictâ sanxere colo, nondumque sorores
Tristia fatali sculpsere pericula saxo.
Hei mihi! quid volui? quoties me clara monebant
Exempla, ut varios fugerem contenta labores
Libertate meâ! potui, si sana fuissem,
Vel nisi ad extremum curvarent omnia Parcae.
Arma dabant ipsae populis, ipsaeque parabant
Instrumenta mali, quoties voluere superbum
Eruere imperium, et terris infundere pestes.
Si qua tamen propriis fecit sibi vulnera telis
Perniciosa manus; ex omnibus una malorum,

Quae timeo ventura, ferar mihi caussa meorum.
Nam neque amor pacis, nec me tenuere furentem
Priscarum calcata diu vestigia matrum;
Quin ego me Superis tantum temeraria virgo
Auderem praeferre, nec orbe beatior ulla
Me mihi visa fuit. Potuit tamen inclyta quondam
Hunc nimis audentem, et fastu nimis alta petentem,
Carthago infaustis animum fraenare ruinis.
Illa erat in terris ingens exemplar, ut acres,
Et quoscumque mihi melior fortuna dedisset,
Exuerem stimulos irarum, interque Latinas
Si non prima nurus, non ultima visa manerem.
Ipsa dabat leges Afris, populosque superbos,
Et Numidas, Libyaeque Duces, tumidumque Syphacem
Fortunata diu claris tremefecerat armis.
Dum tamen imperium Latias extendere in oras
Nititur, insano toties sublata duello;
Dum videt Annibalem captos volitare per agros;
Italiae atque urbes saevis incendere flammis,
Ticinum et Trebiam Trasimenamque lacunam,
Dum putat, et tanto maculatas sanguine Cannas;
Tum cadit infelix, et, quas inimica parenti
Voverat illa meae, tulit a Scipione ruinas.
Tuque peregrinis sociata furoribus olim
Clara dabas miseri nimium monimenta doloris,
Capua, dum summâ imperii pudet arce minorem
Esse Itali; et patriis armatos moenibus Afros
Accipis, et multâ prosternis caede Quirites.

Moenia vulsa vides, tantaeque opulentia terrae
Nil juvat obsessam: sed jam tamen ante vocato
Saepius Annibale, et sontes convivia cives
Dira venenato promiscent ultima Baccho,
Romanae feriunt servilia colla secures.
Sic quoque me potuit dudum celebrata Corinthus
Exemplis terrere suis; sic condita dextrâ
Troja Deûm; sic vos doctae potuistis Athenae;
Innumeraeque aliae, quae nunc sine moenibus urbes,
Nomina nuda, jacent, quibus ista superbia quondam
Attulit excidium, solioque ejecit ab alto.
Sic me terrificat qui devorat omnia serpens
Floribus auratis nuper decoratus: in umbrâ
Ludentem, Zephyroque caput spirante superbum
Moturum aspicio. Quantas aget ille procellas
Urbibus, et quanto miscebit turbine gentes
Inter odora vomens nociturum lilia virus!»

AD PIERIUM VIRUM

ANTONIUM DE ROMAGNO FELTRENSEM

OPERIS POETICI INCHOATI PROMISSIO.

Pan tuus Anguigerâ multis cum laudibus aulâ
Nunc legitur; nec, si qua tui est facundia Luschi,
Deficit ad titulos et amici vatis honores;
Nec desunt avidae doctis pastoribus aures.
Multa tibi, Antoni, fateor debere; sed illa
Debeo cuncta mihi, nec adhuc mihi solvere fas est.
Otia si Ligurum mihi Dux sperata dedisset,
Qualia Virgilio Caesar dedit; ad sua forsan
Tecta meus pelago et ventis jactatus Ulysses
Naufragus accensâ victor properasset ab urbe,
Judicium et cari limam subiturus amici.
Tu tamen, ante diem nisi me crudelia poscant
Fata, videbis adhuc Ithaco de litore regem
Debita Cecropiae solventem vota Minervae.
Parce brevi calamo, rapuit quem Curia Musis:
Atque vale, et laetam nostri memor exige vitam.

AD

ANTONIUM DE ROMAGNO FELTRENSEM.

IGNOBILITATEM PATRIAE NON OBSCURARE VIRTUTEM.

RESPONSIVA.

Est tua, crede mihi, majori digna theatro
Musa, nec angustae tantam capit ambitus urbis,
Antoni. Sic saepe inopi natura sub antro
Magnum animal clarumque tulit, mox nata per omnes
Illum agitat virtus, et lustra per omnia, silvas
Indomitum, et campis late dominatur apricis.
Sic dispensatrix rerum non aequa suarum
Fortuna exiguis magnoque latentibus orbe
Moenibus alta locat, claraeque capacia famae
Ingenia: atque unum hoc multa inter taedia vitae
Non parvum dixisse velim; sed sternat oportet
Ipsa viam virtus, latasque feratur in oras.
Non illam ignotae tenuere ergastula terrae
Inclusam; et patrio quamvis videatur in agro
Angustaeque haerere domi, diffusa per orbem
Evolat, et terras etiam transgressa jacentes
Astra petit titulis, et nomine sidera pulsat.
Altius illa quidem, quam quo mortalia possint
Lumina lippa sequi, generosis nititur alis.
Urbibus in parvis genitos et paupere tecto,
Haec olim aequavit coelo: non magna Biantem

Terra Prienaeum magnum tulit; altior illo
Pythagoras, Romae quondam regnante Superbo,
Clarus in Italiâ magnâ, et vetus incola parvae
Urbis alumnus erat. Quis enim per saecula magno
Major Aristotele? unde illum tamen alta Philippi
Regia, vel quantâ tellure poposcerit ortum
Novimus. Ille ingens tumidorum spretor honorum,
Spretor opum Scythicâ fuit Anacharsis ab orâ
Notus in omne solum; nec inertem angusta poetam
Philetam Cos Aegaei tulit insula ponti.
Haec etiam Phidiâ, qui marmora secta per artus
Ducebat tenues, ac pene loquentia duro
Ora dabat lapidi, et pictore superbit Apelle.
Parva quidem tellus Cicerone exultat alumno
Eloquium mirata viri; quem maxima civem
Gaudet habere suum, nec claros invida fasces
Roma peregrino negat imperiosa Quiriti.
Hos licet exiguis genuissent oppida muris,
Non potuere suâ tamen obscurare tenebrâ.
Sic quoque te patriae civem fortuna minori
Inseruisse potest: virtutem abscondere coecis
Dira nequit latebris, et avito includere sulco.
Hac animo rapiente meum, quae plurima tecum est,
Oblatum ante mihi rarum cor munus amici
Amplector teneoque tuum. Si talia Samnis
Munera det Curio, regum si maximus acri
Obtulerit Cynico; donis laetatus uterque
Talibus, hic regi grates aget, hostibus alter.

RESPONSIVA

ANTONII DE ROMAGNO.

Vertumni jam tempus adest, cum plurima circum
Dona volant; mittit pretiosa monilia Thisbi
Pyramus, et caram fert serta Leander ad Hero.
Gaudet in auratâ, Paridis quo munere, pallâ
Tyndaris: ad castam transis ab Ulysse maritam,
Anule. Donatâ plaudit sibi virgo coronâ,
Pulchraque militibus partitur munera Caesar.
Hic phaleras, hic frena capit. Datur aureus illi
Balteus: ast alii gemmatus traditur ensis.
Nec secus ipsa suis partitur Delia Nymphis,
Huic arcus, illi pharetras; habet ista sagittas,
Haec jaculis, felixque datis est illa cothurnis.
Sed nullus conferre meis sua munera donis
Audeat, argutos etenim mi Luschus olores
Donavit, queis si manes comitatus adisset
Orpheus, Eurydicen iterum meruisset amatam.
Ergo ibis dicesque meo verecundula Luscho
Littera, dignetur veniam, si reddere grates
Nescimus: neque enim tam grandia munera digne
Vel licite laudare queant vel carmina Mopsi.

Jam tandem tuus, non enim respuisti,
ANTONIUS DE ROMAGNO.

AD

FRANCISCUM DE BRUNIS BONONIENSEM

DE INGENIO FILII BREVE JUDICIUM.

Si patris ante oculos natum laudare liceret,
Materia ampla mihi, seges atque uberrima laudum est
De geniti virtute tui; quem clara profecto
Astra vocant alio, quam quo vel amica suorum
Consilia, aut pulcri spes ostentata lucelli
Impellunt. Semel hanc alieno nomine secum
Deplorasse viam satis est. Si plura requiris,
Judicii stat summa mei: diversa secutus
Hic quascumque volet juvenis se flectat ad artes,
Afferet ingenium Musis melioribus aptum.
Ast iter hoc, quodcumque capit, quodcumque tenebit,
Sit felix faustumque, precor. Fuit et mihi quondam
Hoc labor in bivio: nam vota precesque meorum
Indignantem animum ad civilia jura trahebant.
At mecum partes natura potentior egit
Pieridum, tractoque diu certamine, tandem
Vicit amor Musarum ingens; nec poenitet alti
Propositi, si me Latiae duo flumina linguae,
Tullius atque Maro, sua per vestigia ducant,

Quo mea jam teneris mens suspiravit ab annis;
Ut nihil aut melius studiis aut sanctius istis
Esse rear, vel quod doctas magis impleat aures.
Tu patrio pro jure tuo nunc consule nato:
Atque vale, fidumque novi et breve carmen amici
Pignus amoris habe, decerptum e turbine raptim
Curarum, ingenio diversa negotia circum
Implicito, et tenui vix respondente Camoenâ.

FRANCISCO DE RICCHANETO

DE SOMNIO PER EUM FICTO

RESPONSIVA.

O felix, cui per placidam vidisse quietem
Contigit Aonias Parnasi in vertice Musas,
Affarique Deas licuit, quibus ampla potestas
Artis et ingenii est! Felix, cui sidera tantum
Indulgent, facilesque ferunt rarissima somni
Munera, quae vigiles vix longo in tempore curae
Concessere aliis! Mihi non licet hactenus, et jam
Me duo lustra vagum fert ardor, et una superne
Cara poesis agit, quae pectore vivit in alto,
Aspicere illius suprema cacumina montis.
Si tamen haec de me statuunt, et amicus Apollo
Texere dona jubet, clamydemque afferre decoram,
Ornamentum ingens summae virtutis, et idem
Pierides vincire sacrà mea tempora lauro
Praecipit, et faciunt; me satque superque beatum
Esse reor. Sed credo equidem tua pulcra relatu
Somnia fingit amor, fama irritatus inani;
Talia ni curas inter versare diurnas
Esse feras solitum sacri spectacula Phoebi.
Hac ratione quidem possunt ea visa quietum

Exagitasse caput. Nam, si satis ista profunde
Explorata ferunt, quibus est ea cura, fatendum est
Plurima de variis effingi somnia curis.
Sensus in arcanam quantum phantasmata mentem
Dirigit; inde manent species et imagine rerum
Exercent speculantem animam, quae sola ligatis
Sensibus inviligat, somno cum presserit alto
Corpus amica quies. Igitur quod parte receptum
Interiore fuit conservatumque tenaci,
Pulsat adhuc animam: miris hinc ipsa figuris
Impletur. Si forte aliquid versaverit ergo
Cura vigil, capitique affixerit improba nostro,
Cernimus in facili se se ostentare sopore.
Me tamen unde tibi sub imagine somnus in umbris
Afferat, unde agitet dulcem nova cura quietem
Miror, et unde viri facies ignota, meumque
Nomen adhuc tenerum sua per simulacra jacentem
Sollicitet; fictumque ideo credamus honorem
Hunc mihi ab ignoto fabricatum munus amico;
Cujus ego affectus avide complector, et ulnis
Stringo animi, teneoque libens. At si altius acres
Fixeris in me oculos, alium mihi crede, videbis,
Quam tibi vel somnos vel inania visa per umbram
Ostendisse refers, nec Apollinis ore probatum,
Nec dignum lauro, nec vatis honore superbum.

AD ILLUSTREM ET EXCELSUM PRINCIPEM
DUCEM MEDIOLANI ETC.
PAPIAE ET VIRTUTUM COMITEM
PROSOPOPEJA SUB NOMINE CIVITATIS MANTUAE.
RESPONSUM CARMINIBUS VIRI EGREGII
DOMINI PHILIPPI DE PESCIA.

Olim ego dum sacro, Dux o clarissime, tecum
Foedere juncta forem, pietosque in turribus angues
Ipsa meis Ligurum Dominos, socia arma, viderem;
Fracta licet senio et duris lassata tyrannis,
Speravi famamque meam juvenemque maritum
Auspiciis ornare tuis: nec defuit illa
Tempestate, mihi tua clara et justa secutae
Arma, Veronaei pars exoptata triumphi.
Oppida Scaligeri quae possedere tyranni,
Suspecta ante oculos ipsique minantia portae,
In partem cessere mihi: sic altior ibam
Viribus aucta novis, vicinarumque sororum
Cincta choro. Non fluminibus defensa profundis,
Foederibus sed tuta fui; nam vera fatebor,
Nominis umbra tui, et vicina potentia circum
Cuncta tenens, Italasque omnes metuenda per urbes,
Praestitit incolumem; poteramque beata videri.

Mens quoque ni juveni praeceps et avara fuisset,
Ipse beatus erat: sed dum juvenile profanae
Pectus agunt furiae, facilesque accommodat aures
Dulcibus insidiis, et spe sublatus inani
In Phaetonteos audet se mittere currus;
Tum cadit infelix. Hinc justis excita caussis
Anguigeri Jovis ira tonat, fractoque trementem
Corde premit juvenem: sic per mea viscera fulmen
Tenditur in miseri caput exitiale mariti,
Sic eat. Omne velim discrimen adire, nec ullos,
Crede mihi, patior bellorum invita labores,
Dum luat hic meritas tanto pro crimine poenas,
Speratacque mihi pateat lux illa quietis;
Quae modo si seris tandem contingat in annis,
Satque superque datum est. At tu quem fama vetusti
Sanguinis ad superi fastigia tollit Olympi,
Inclyte Dux Ligurum, neu dedignare senilem,
Exhaustamque opibus, crebrisque laboribus aegram
Matronam sociare toris, quae plurima rerum
Magnarum momenta trahit. Felicibus ergo
Prosequere auspiciis, debellatumque putato,
Languida si duro premitur Florentia bello.
Illa caput scelerum est, illo est de fonte cavendum
Omne doli genus, omne nefas. Tu fortibus armis
Hanc preme, et altricem flammarum extingue favillam.
Si tibi tres animas, tria si tibi corda dedisset
Natura, huc omnis vertenda; atque omnibus esset
Mentibus instandum, gens ut scelerata cruento

E scopulo, unde gravi divina humanaque fastu
Despicit, et populum terit imperiosa gementem,
Victa ruat. Quae si (dirum quod Jupiter omen
Avertat) foret insidiis laetata secundis,
Et Pisana truci solvisset foedera ferro;
Pontibus usa meis bellum immortale foveret
Finibus in Ligurum. Sed fata Deusque per auras
Consilia, et vanas sparsere nocentia curas.

AD ILLUSTREM PRINCIPEM

DUCEM MEDIOLANI COMITEMQUE VIRTUTUM

EXHORTATIO UT PACEM COGITET PER VIAM BELLI.

Maxime Dux Ligurum, quo sceptra tenente, quietem
Res Italae sperare queunt (licet aspera contra
Tuscorum rabies studio contendat inani),
Vera salus, verus patriae pater, o decor ingens
Italiae; tranquilla Numae si tempora regis
Romuleo plus Marte placent, et pace sub altâ
Aurea per Latias diffundere saecula terras
Infixum est animo; fateor, mens ista supernis
Digna venit titulis: nec enim te gloria major
Tollere ad astra potest, atque ipsi aequare Tonanti.
Huc cursus contende tuos, huc omnibus ergo
Consiliis inflecte animos. Te Principe rerum,
Sentiat optatam tandem ora Ligustica pacem.
Ast alio carpenda via est, alioque petendum
Pacis iter; quod per rapidi vestigia belli
Rectius invenies, quam per pietatis apertae
Signa, per Etruscae toties data foedera genti.
Si juvat Italiam duris absolvere bellis,
Bella para. Videorne tibi pugnantia forsan

Dicta sequi? Sed si ingenio metiris, et alte
Effodienda notes, nihil esse fateberis usquam
Verius, aut secum magis esse sonantius illis.
Cerne, precor, quantos fallaci pacis in umbrâ
Nectat iniqua dolos, quantis sua culmina septet
Insidiis, agitans animo Florentia bellum.
Illa quidem accensas irarum extinguere flammas
Dira nequit; tumidoque coquens sub corde venenum,
Qualescumque potest in teque tuosque catervas
Armat, et externas acuens in praelia gentes
Sollicitat, se fraude tegens; et pacis amorem
Saepe tibi ingeminat; se saepe quietis amicam
Insidiosa vocat, cum turbine misceat omnem
Ausoniam. Quaecumque Italis sparguntur in oris
Semina bellorum furiis devota profanis,
Illa sinu fovet, illa faces jaculata nocentes
Corda per alta Ducum stimulis accendit amaris.
In caput una tuum (rapiant sua vota procellae)
Conjurata furit. Quidquid secum impia versat
Consilii, quidquid toto molitur in orbe
Anxia; seu Tuscâ vicina per oppida terrâ
Arma ferat, seu pollicitis insana superbis
Germanos Gallosque vocet, te flectit in unum
Illa truces oculos; ut si qua (quod omen in auras
Dispergant Superi) pateat via fraudibus, omnes
Perque dolos perque insidias, tua sceptra tuumque
Perdat anhela decus, titulis quod surgere claris,
Aequarive polo, et terras superare jacentes

Angitur infelix. Ergo hac cum gente teneri
Foedera fixa putas? Prius alta per aequora cervi
Pascua nota petent, et per nemora ardua pisces
Errabunt: prius occiduo de litore solem
Mittet aperta dies, et litore condet eoo;
Perfida quam stabilem servet Florentia pacem.
Quis tolerare queat tantum fastidia faedae
Libertatis, et illius perjuria gentis?
Cui nec amica fides, nec foedera sancta, nec ullus
Religionis honos; cui vasta superbia fauces
Latratu horrifico verbisque minacibus implet.
Inde tonat, fastuque animos super aethera tollit.
Ergo illam flammis, et justo evertere ferro,
Altricem scelerum, fontemque caputque malorum,
Concipe, summe Ducum: sic pax immota per urbes
Florebit Latias, sic foedera tuta manebunt.
Quae quoties ficto violaverit improba vultu,
Praetereo. Pisana novis vastata ruinis
Arva monent. Pisae Tyrrhena per aequora quondam
Assuetae imperium et magnas agitare carinas,
Florentina suis viderunt agmina portis
Instare ardentes circum populantia campos.
Vindicis arma Ducis poscunt, violata queruntur
Foedera. Te moveant socii, lacrimaeque tuorum,
Quos decet et sanctum est hostili a fraude tueri.

AD MAGNIFICOS ET POTENTES DOMINOS

DOMINUM MANTUANUM, DOMINUM PANDULFUM
ET
DOMINUM MALATESTAM DE MALATESTIS

LUSCHI ANTONII VICENTINI
EPISTOLA INCITATORIA
UT QUAESITA VELINT UTI VICTORIA
DUM BONONIAM ARMATA COEPERE MANU
PRO ILLUSTRISSIMO DUCE MEDIOLANENSI.

Magnanimi Heroes, Italae tria sidera terrae,
A quibus est fortis superata Bononia bello;
Ite, Duces, quo fata vocant, gentique malignae
Insultate graves, animis ac viribus acres,
Nec respirandi spatium date. Pulcher ab alto
Iste dies tulit altarum praeludia rerum,
Ostenditque viam, tumida unde superbia tandem
Florentina queat vestris contundier armis.
Ite modo, et victâ neu perdite tempus in urbe
Victores, sed fulmineo rapite agmina cursu,
Percussumque novâ populum formidine, dum se
Consiliique et opis vacuum videt, ocyus ante
Quam ratio afflictis valeat succurrere rebus,
Opprimite, et subito tremefactum sternite motu.
Magna Ducis Ligurum, cujus vos arma movetis,

Auspiciis fortuna favet. Deus ipse saluti
Consulit Italiae, atque illo sub Principe pacem,
Quam populi toties exoptavere Latini,
Nunc dabit: et posito tandem Florentia fastu,
Desinet insidiis Latii turbare quietem.

AD VICTORIOSUM
ATQUE MAGNIFICUM MILITEM
DOMINUM JACOBUM DE VERME
CAPITANEUM GENERALEM ILLUSTRISSIMI DUCIS MEDIOLANI.
QUAERITUR,
CUM AB EO DUAE MAGNAE VICTORIAE PARTAE SINT,
ARMENIACENSIS VIDELICET ET BONONIENSIS,
QUAENAM ISTARUM MAJOR
ET UTILIOR HABENDA EST.

Jacob, militiae decus et lux una Latinae,
Quo Duce terribili superata Bononia bello est:
Cum nobis gemino duplex victoria lustro
Auspiciis sit parta tuis, quarum una timentem
Italiae in primis Gallorum finibus iram
Fregit, et audaces populos gentemque cruentam
Privavit capite, et bello superavit acerbo;
Altera, quidquid opis potuit Florentia nostri
Aemula cruda Ducis, quidquid potuere sequaces
Colligere, unâ acie fudit, ditione recepit
Urbem quae doctis famâ non cedat Athenis:
Stant dubii plerique animis, victoria major
Utiliorque Duci Ligurum populisque Latinis
Utra sit; et variâ, quod sentit quisque, tueri
Conatur ratione. Fuit res maxima, et ipsis
Vix credenda oculis, nullumque abolenda per aevum,
Robustas acies innataque pectora ferro,

Quae sola e populis legisse ferocibus ipse
Mars sibi visus erat, nostras obeuntia portas,
Exiguâ superare manu; captoque superbae
Gentis hero, confusa metu, et fugientia retro
Millia multa virûm paucis victoribus arma
Tradere. Magna quidem fuit haec victoria, quae nos,
Italiamqe omnem populosque extrema timentes,
Infando excidio et saevâ servavit ab irâ
Barbaricâ. Majorque ideo quae depulit hostem
Nostra lacessentem nobisque horrenda minantem;
Quam quae signa Ducis victâ confixit in urbe.
Dulce quidem ac magnum est victricia ferre per orbem
Arma, novas sceptris vincendo adjungere gentes,
Et populis dare jura novis, finesque potenti
Imperii laxare manu; sed dulcius ipsam
Protegere est armis patriam, et suprema verentem
Excidia afflictis jam jam impendentia rebus
De miseris auferre malis, hostique pavorem
Incutere externo. Neque enim dicenda Camilli
Fama minor, patriae obsessam quod ab hostibus arcem
Servavit, Gallosque truci certamine fudit;
Quam pridem patriae Vejos quod subdidit urbem.
Tunc caput, unde suas Romana potentia leges
Mitteret, atque omnes terrarum obstringeret oras,
Defensum est. Sic Italiae fortuna domusque
Anguigerae ambiguis stabat tunc pendula fatis.
Illa sed alma dies, quâ, vir clarissime, Gallos
Vicisti, Italiam tanto defendit ab hoste,

Italiaeque caput, quod fata Deusque locarunt
Hic, ubi priscorum sedes fuit inclyta Regum.
At quibus ista recens illam victoria supra
Tollitur, hi studiis animisque faventibus ardent
Magnificare novum multo sermone triumphum.
Hic equitum peditumque manus fortissima vallo
Clausa erat et fluvio, munitaque castra tenebat.
Huc tamen ardor agens subit, atque obstantia rumpit
Vi vastà: glomerati hostes sternuntur, et unâ
Debellatum acie est. Quid nostro optatius unquam
Attulit ulla dies? cumulata potentia gentis
Concidit adversae, nullo reparabilis auro:
Urbs etiam ante alias magnis conatibus una
Opportuna Ducis, populos quae sola ligabat,
Vincula pacis habens et acerbi vincula belli,
Urbs opulenta, potens, nostris et dedita sceptris.
Plura etiam, veluti cuique est sententia, partem
Verba in utramque ferunt: sed tu, qui fortiter hostes
Debellare potes, potes hanc et solvere litem.
Victorem te Musa rogat, cui talia cordi,
Perpetuis signare locis, meritumque canendo
Reddere principibus gestis pro rebus honorem.
De manibus suscepta tuis victoria quaenam
Major habenda, sibi majoraque carmina poscat,
Discutias. Tua sola quidem sententia veri
Pondus habet, non invidiae perfusa veneno:
Utraque namque tua est. Alii fortasse minorem
Hanc facerent, in quâ propriae nil laudis haberent.

EPITAPHIUM CONDITUM
PER
DOMINUM ANTONIUM LUSCHUM
VICENTINUM
AD MONUMENTUM SEU SEPULCHRUM
QUONDAM GLORIOSAE MEMORIAE ILLUSTRISSIMI
DUCIS MEDIOLANI ET COMITIS VIRTUTUM.

Cum Ducis anguigeri variis divisa sepulchris
Membra cubent, sic jussit enim; nam viscera servat,
Antoni, tua sancta domus celebrata Viennae,
Cor Ticinensis Michael, Cartusia corpus:
Hic quoque ad aeternum patriae populique dolorem
Vexilla et clypei et lacrymosae insignia pompae,
Exequialis honos, monumentum flebile, pendent.
Instar et hoc tumuli, semper memorabile nostris
Impositum signum est oculis. Lege Principis ergo
Hic etiam titulos nomenque genusque supremum,
Cujus ab Angleriae Trojani sanguinis Anglis
Comitibus (si prisca petas primordia clari
Nominis, atque domus Vicecomeae) extat origo.
Talibus exortum proavis dixere Joannem
Hunc Galeaz, quo non famâ vulgatius ullum
Nomen in orbe fuit. Factis ingentibus heros

Ille quidem anguigeram super aurea sidera gentem
Extulit, et se se virtute aequavit Olympo.
Dux Ligurum, patriaeque pater, Comesque Papiae
Virtutumque fuit. Quantum splendebat in illo
Imperiosae oculis vis majestatis, et altae
Frontis honos; tantum specie mortalibus ibat
Altior, ut Dominum sola esse doceret imago.
Quantum lux animi specioso in corpore fulsit,
Cognita per varios testantur plurima casus
Consilia alta Ducis; cujus pietasque fidesque
Sacraque justitiae clementia sanguinis expers
Innocuam fecere animam. Nec dulcior alter
Eloquio; nec magnificis praestantior alter,
Nec fuit in totis Europae finibus unquam
Aptior imperiis princeps; nec sanctior alter
Religione fuit, nec pacis amantior illo.
Hanc propter saepe auspiciis justa arma secundis
Induit, et claros superato ex hoste triumphos
Cepit; et ultrices (quae nulla est gloria major,
Nullaque compositae major constantia mentis)
Ipse sui victor de pectore depulit iras:
Permisitque prius victis ad sana reverti
Consilia, et mediis pacem quaesivit in armis.
Ipse graves populis crudâ de sede tyrannos
Dejecit, fregit tumidos, stravitque superbos.
Hinc erat, unde quies magnorum certa laborum
Italiae speranda foret. Duce laeta sub isto
Illa sibi antiquos jam promittebat honores;

Namque videbatur coelo demissus, ad unum
Natus, ut in Latiis componeret aurea terris
Saecula, et afflicto tandem daret otia mundo.
At Deus Ausoniae dederat quod sidus egenti
Transtulit ad Superos: sive illo ornare beatos
Angelicosque choros voluit; seu lumine tali
Indignam est ratus Italiam mundumque nocentem:
Consilii ratio alta latens et causa superstat.
Sed nos oh miseri, quorum ille piissimus heros
Destitit optatae nunquam vigilare saluti!
Flete Ducem Ligures, Itali lachrymate parentem,
Vosque urbes viduae, Princeps quas ille sub alis
Felices sceptrisque suis cum pace fovebat,
Aeternas oculis lachrymas effundite vestris.
Ante alias Mediolanum, patria inclyta magni
Principis, atque caput tantae ditionis, et olim
Longobardorum domus augustissima regum;
Magnanimoque Duci nuper gratissima sedes
Papia (illustres titulis quas fecerat urbes);
Et vicina sequens matris vestigia Laudis
Urbs, Pompejani in laudem memorata triumphi.
Brixia civili non enervata duello
Funde pares lacrymas; et tu Verona, sororque
Ingeniis ornata bonis Vicentia, duris
Cognita temporibus: parvaeque in montibus urbes
Bellunum Feltrumque adeant; et pulchra Cremona
Planitie gaudens magnâ; memoresque laborum
Vercellae, antiquis tellus agitata procellis;

Et cum Derthonâ foecunda Novaria pingui;
Piscosum Comum; populoque animosa superbo
Bergoma; et occiduis, quam nunquam victor adivit,
Nomen Alexandri retinens urbs fertilis oris;
Quaeque tot egregios in praelia mittit alumnos
Parma potens animis; et opima Placentia campis;
Et Bovium; et vicina malis urbs ducta, priusquam
Sub Ducis imperium et juga non metuenda veniret.
Tu quoque Lucensis regio, licet obruta Lunâ
Moenia sint, reliquis plorantibus urbibus addas;
Quas inter magno est lacerata Bononia fletu,
Et gemitu et lachrymis proprium confessa dolorem.
Cur sibi sidereos subito mors improba vultus
Principis eripuit? nec passa diutius illâ
Majestate frui, et mitis dulcedine sceptri?
Ite simul, sic fata jubent, sociare querelas
Urbs Pisae, quondam Tyrrheni Roma profundi;
Massaque; Grossetumque manu vehat inclyta secum,
Et cum vicino turrita Perusia ploret
Assisio, et moestae saliant ad sidera voces.
Romanum gemat imperium, Romanaque plangat
Ecclesia: illachryment oculi duo lumina terrae.
Raptus uterque pugil, Latii quo major in oris
Non erat: ex Italis Germanos depulit hostes
Finibus, et Gallos bello conflixit acerbo,
Ante Quirinalem possent quam cernere Romam.
Mille quatercentum atque duos cum duceret annos
Sol, hunc atra dies Septembris tertia ademit.

AD VIRUM PRAESTANTISSIMUM
ET CONSPICUUM
ANTONIUM LUSCHUM DE VICENTIA
MUSARUM CELEBRITATE FAMOSUM
RESPONSUM UBERTI DECEMBRIS.

Solamen praestasse pium tua carmina, Lusche
Antoni, fateor non tam dulcedine vocum,
Quas tua Musa refert docti modulamine plectri,
Nec quia contineat laudes ea pagina nostras
Oh utinam veras! Musis et Apolline dignas;
Quam quia te paribus noscam cruciatibus angi,
Et casum deflere Ducis, quo celsior alter,
Nec virtute prior Latiis effulsit in oris.
Hoc pereunte Duce, excessit concordia mundo.
Justitia hinc deserta jacet, pietasque pudorque
Alabus cessere piis: subit improba radix
Invidiae, miseras rapiens ad tartara mentes.
Nunc pestis genus omne fluit: discordia tristis,
Seditio in populis, bellum civile per omnes
Liguriae patrias, caedesque, rapina, ruinae
In pacis subiere locum: furor improbus alas
Extendit. Venere truces hac peste tyranni,
Dum carpis quod cuique licet. Sed non secus olim

Roma suum Augustum sensit cessisse, tremendum
Alcidem Thebae, clarum quoque Thesea Athenae,
Hectora Troja suum, Grajorumque agmen Achillem.
Has inter clades medio fluitare profundo
Fluctibus innumeris, mersamque remergere classem
Qui sperare licet? Quis finis cladibus istis?
Mi Deus, ex alto sortem miseratus iniquam,
Extinctâ referas odiorum aspergine pacem.
Non ego me tanti faciam, licet omnia faxim,
Vipera ne pereat, sub quâ olim Astrea rependens
Floruit, et populis legem dedit omnibus aequam.
Ut statum arripiat primum, ultroque imperet illis
Urbibus Italiae, quas Dux ditione tenebat,
Non ea vis nec cura subit. Satis arva tueri
Nunc dabitur propria, et quorum se subdat in antris
Anguis, ut amissas intret post fortius arces.
Spes at ad haec satis ampla datur, si vita supersit
Queis ex magnanimo natis Duce fortia jam nunc
Pectora sunt animique graves moresque paterni.
Quos ego non dubito, fraude insidiisque remotis,
In sublime repente suas attollere vires.
Interea latebris correpta volumina serpens
Condit, ut exurgens captato tempore, vires
Latius infundat populis, omnique rebelli
Saevitie expulsâ, ducat secum ille fideles.
Justa animos dabit ira truces prosternere, frenos
Indomitis adhibere feris, et cogere pravos.
Justitia incipiet tunc primum pandere valvas

Concordi comitata fide. Pax alta per omnes
Sparget opes Ligures, et Martis limina claudet.
Sed Tuscas igiturne negatur subdere partes,
Nec vacat externis legem dare gentibus? Atqui
Ne scopulo offendat saltem vigilabimus, atque
Muneribus spoliata suis illaesa recedat.

Vale. Datum Mediolani XXI Octobris
apud templum admirabile Virginis gloriosae.

EGREGIIS AC FIDELIBUS

CIVIBUS VICENTINIS

MAJORIBUS MEIS HONORANDIS

EXHORTATIO AD CONSERVATIONEM FIDELITATIS.

Una vetus Patriae laus est et gloria nostrae
Principibus servare fidem, dominosque vereri.
Hanc ab avis patribusque datam nos jure tenemur
Amplecti, et nostris post fata relinquere natis:
Saeva vel adverso tonet inclementia mundo,
Martis et horrisonae feriant hinc inde procellae;
Sive fames et tela premant, vel iniqua profanis
Motibus obsessum fortuna exhauriat orbem:
Omnia quae vacuas magnus dispergat in auras
Jupiter. Et quoniam similes tamen undique casus
Saepe tulit fortuna nocens, ea vulnera contra
Armatos decet esse animos. Quare omnia cives
Dura, precor, tolerate, priusquam saeva vetustam
Et patriae ingenitam nostris a patribus urbi
Excutiat fortuna fidem. Sors aspera rerum
Longa fuit, fuit innumeris objecta rapinis
Cymbrica res, bello et crudis quassata tyrannis;
Non prostrata tamen mansit, virtusque decusque
Mansit et alma fides: haec nomen ad aethera nostrum

Extulit. Antiquas exempla per inclyta laudes
Si memorem, sequar et nostrorum ex ordine avorum
Historias, longis vereor ne ambagibus aures
Detineam. Juvat extremi meminisse laboris,
Quo magis Hesperiam virtusque fidesque per omnem
Cognita vestra fuit, summoque accensa periclo:
Septimus a magno nunc volvitur annus Olympo.
Anguifer Ausoniae Princeps, justissimus heros,
Duxque Comesque potens, dignà commotus ab irà,
Hostis cum tumidà bellum tum gente gerebat,
Quae bibit Etruscis nascentem e collibus Arnum.
Jamque videbatur plenis victoria velis
Accelerare Duci: jam circum exercitus urbes
Hostiles armatus erat: jam nostra patebant
Imperia, et victà de libertate ruebant.
Ecce autem Euganeam subitus furor occupat urbem,
Et sequitur vario fervens Verona tumultu.
Nos vero intrepidi, cum septa rebellibus armis
Cymbrica terra foret passura infanda, nec ullis
Cessuri ante malis, quam sanguis ad ultima nobis
Vulnera et extremos vitae effluxisset ad usus;
Nos, inquam, impavidi stetimus, circumque frementes
Seditione truci populos urbesque propinquas
Non armis opibusque pares, non viribus aequis
(Sed dabat arma fides) animo contempsimus alto.
Atque ita nec rerum vertigine mota novarum,
Nec tremefacta metu, nostra exemplaris in omne
Tempus erit fidei patria, ut jurata saluti

Anteferant propriae dominorum foedera gentes:
Et eum se nequeant in libertate tueri;
Ne pigeat servire bonis, nec justa recusent
Sceptra, nec excutiant tumide juga mitia collo.
Prima quidem sors est paucis concessa, potenti
Libertas defensa manu, lateque per urbes
Regnare, et partis se tollere ad astra triumphis.
Proxima scire fide infractâ et virtute regentem
Ferre suum; quae Phocaicae laus unica genti,
Romano regnante, fuit populoque Sagunti.
Hanc nobis liquere patres, hanc auximus ipsi,
Hanc etiam nostris servare nepotibus aequum est.

Vester concivis et frater Antonius Luschus Vicentinus
Illustrissimi Ducis Mediolani
Cancellarius Secretarius.

X idus Martias M. CCCC. III.

AD REVERENDISSIMUM PATREM
ET DOMINUM

DOMINUM CARDINALEM MEDIOLANENSEM.

IPSIUS DIGNA LAUDATIO
OB ID
QUOD ILLUSTRIUM DOMINORUM VICECOMITUM
STATUS CONFIRMANDI ET PACIFICANDI CURAM ONUSQUE
SUSCEPERIT.

Magne pugil fidei, rerum fons alte sacrarum,
Cretica quem nobis, coelo velut ante Tonantem,
Insula donavit, Graii si talia vates
Vera ferunt: nos vera, Pater, nos recta tenemus
Munera. Te Latio divina arcana scientem
Illa tulit; claraeque Italis in finibus urbes
Felices tanto sub te pastore fuerunt:
Et nunc Ecclesiae paulatim in frusta ruenti
Frons tua supposita est rutilo insignita galero.
Hoc sat erat, poterasque uno sub fasce mereri
Immortale decus; sed non contenta quiescit
Ardua mens uni se submisisse labori:
Unde videns magnis vexari cladibus urbem
Assidue, quà non Latiis populosior oris
Nobiliorque foret, modo pax antiqua vigeret;
Anguigeramque domum latà ditione potentem,

Nuper et excelsâ tangentem sidera pompâ
Cum patriâ titubare suâ; succurrere fessis
Civibus atque Duci plenus pietate parasti.
Sic, onus immensum, laceratam suscipis aulam
Consilio firmare tuo, penitusque labantes
Erigere aut animos, ostensâ aut pace feroces
Comprimere, et fractis monstrare pericula rebus.
Vertice sic humerisque polos mundumque cadentem
Sustinuisse ferunt (nam pondere cesserat Atlas)
Alcidem: sic heu! nostrum cessisse dolemus
Magnum illum Italiae verumque Atlanta, potenti
Qui solus suprema manu fastigia rerum
Sustentans, sua regna gravi librata tenebat
Ordine, et astriferum pulsabat nomine coelum.
Ergo opus est, illo quoniam percunte soluta est
Machina, in extremos quae restant ne omnia casus
Praecipitata ruant, veluti facis, ipse subire
Pondus, et instanti prudentem obstare ruinae.
Sic decet, in medio qui navigat arte profundo,
Nunc laxare sinus, ventisque implere secundis,
Quando per optatos impellunt omnia cursus;
Interdum, feriente Noto, cum summa premit vis
Undarum, adversique cadunt ex aethere nimbi,
Et tempestates exarmavere carinam,
Carbasa contrahere, et portus intrare quietos.
Nos olim auspiciis magni Ducis arma per omnem
Movimus Italiam, tumidos superavimus hostes
Viribus, et Tuscas in pace recepimus urbes.

Nunc autem, sic sorte datum est, vix pauca tuemur
Moenia, civilis nec adhuc sine turbine belli,
Heu dolor! amissis terrarum finibus usque
Ad mare porrectis et Tusci Tybridis undam.
Illaque finitimas victrix spatiata per oras
Vipera, in angusto contracta foramine languet.
At mihi si natura ferae bene nota superbae est,
Tempus erit, patriae cum dedignata latebras
Exibit, strepitumque Italis aget ardua campis.
Justa animos dabit ira sibi, populique faventes
Accipient avidi imperium: subito illa rebelles
Conteret, inque hostes et major et altior ibit.
Dummodo ab insidiis et seditionibus istà
Tempestate caput tutum conservet, habemus
Nunc satis. Interea veniens robustior aetas,
Aptaque consiliis, tractandisque aptior armis,
Formidata magis dilectaque nomina fratrum
Reddet; et haeredes tanto de semine nati,
Sancta per excelsi vestigia patris euntes,
Non poterunt nisi magna animis evolvere magnis.
Magnificum fratris generoso sanguine et ipsà
Naturà est genus anguigerum dominabile terris.

AD MAGNIFICUM MILITEM

DOMINUM JACOBUM DE VERME

HORTATORIA

UT COMPOSITA PACE LIGURIAE FINEM BELLIS FACIAT

ET ARMA SUA DEO SACRATA

SUSPENDAT IN ALIQUO TEMPLO ITALIAE.

Saepe ego, cum magnas bellando viceris urbes,
Straveris atque acies (tua quae victoria nobis
Dulcis erat), studio Musarum ornare solebam
Virtutem famamque tuam; nunc maxima vero
Noster ad extremum tibi carmina servat Apollo,
Cum pacem in terris Ligurum firmaveris, et cum
Anguigeram excelso delapsam culmine gentem,
Si non antiquam in speciem et decora illa beati
Temporis, ast in tutae aliquem ditionis honorem
Reddideris. Nunc arma velim, quibus inclyta late
Fama tibi et toto quaesita est gloria mundo,
Deponas. Pulchrum est, et quod super omnia claros
Efficiat, regere arma, ducemque in praelia forti
Ire animo; sed habent etiam pulcherrima finem
Cuncta suum, quaecumque agitant mortalia terris
Pectora. Sic bellandum homini pro Principe, et ultro
Pro patria, si res tulerit, mors ipsa petenda est.

Sed cum per multos bene quis rem gesserit annos
Principis et patriae, magnâ cum laude vacandi
Jus habet: ipsa jubet natura quiescere, quando
Multa fatigatam fregere negotia vitam.
Ut toga tuta suos in pace teneret honores,
Militia in terris atque arma inventa fuere.
Una quies petitur gladiis; haec una laborum
Terminus; huc votis studiisque animalia tendunt.
Hanc igitur cum tu populis donaveris, uni
Quis tibi jure neget? gestis tot rebus, ab armis
Cedere honoratum, et deflectere in otia tutum est:
Otia non luxu, nec inertibus abdita curis,
Sed quae digna viro sint principe, qualia, bellis
Compositis, inter vates Augustus agebat;
Et non consilium patriae vocemque negabat.
Arma sed ut statues tranquillo tempore victor
Perpetuâ mutare togâ; precor, illa caveto,
A quibus Italia est defensa ornataque dudum,
Privatâ servare domo. Sit publicus ille,
Sit locus ille sacer, Latiis sit in urbibus ille,
Quem facias insignem armis, et munere dones
Egregio: sint et testantia carmina, cujus
Arma dicata viri, quas res his gesserit armis;
Ut videant Itali propriae instrumenta salutis
Jure Deo sacrata et templo affixa Latino.
Qualem ego te in terris, quantâ dulcedine vitae
Fungentem aspiciam, cum jam tua gloria portum
Ceperit ambiguis fortunae exemta procellis,

Et consummato praeclarae munere sortis!
Quod vitae superest, vives tibi; et optima rerum
Conscia mens gestarum animum oblectabit: ibi ingens
Spiritus inventâ contentus pace quiescet.
Una inter multas erit et non parva voluptas,
Si docta ingenia et studiis aptissima tecum
Saepe voles, sociis et delectabere Musis;
Quae solae armatum bello, vel pace togatum
Certius ostendent populis in longa futuris
Saecula, quam Phidiae vel Praxitelis imago
Ducta manu; quamvis in marmore figat uterque
Spirantes vultus atque ora simillima vivis.

CELEBERRIMO VIRO

DOMINO ANTONIO DE LUSCHIS

LAUREA ET IMMORTALITATE DIGNO.

Pronus erat Titan, et Iberi litora Ponti
Jam fessis intrarat equis, curruque supino
Aureus Hesperiâ frontem demerserat undâ;
Ipse pater lucis fumantes torserat auras
Litus in occiduum. Jam primus fulgida coelo
Hesperus astra ciens, nocti concesserat atrae
Aera nigrantem tenebrosâ involvere pallâ.
Cum mea Calliopen pulsantem ad limina laetam
Aspicio: celerem sequitur pia turba sororum.
Illi vestis erat roseis circumflua limbis,
Albaque, congestis variorum picta colorum
Floribus, et doctae pollebat gratia linguae.
Quidquid odoriferi fervens plaga gignit amomi
Fragrabat: proprii cultus insignia mostrant
Majestate Deam, vultuque habituque verendo
It gravis: et nulli reverentia tanta sororum.
Hujus nunc hederae virides, nunc myrtus odora,
Nunc laurus flavos ornabat sancta capillos;
Et pedibus rubeos incinxerat ipsa cothurnos,

Laeva chelim, plectrum doctissima dextra tenebat:
Dulces inque sonos pulsis ad carminà nervis
Flumina tarda flui modulatu tacta sonoro
Inspiceres, celeri fontes decurrere motu.
Postquam cunctantem sacris me vocibus illa
Carpserat, et dulcis clamor percusserat aures,
Mitis compositâ sic tandem voce profatur:
« Nuper ad hanc urbem Latialis gloria linguae
Unica, divini venit post fata Petrarcae,
Luschorum de stirpe satus, cui nobilis ortus
Terra dedit, Retro quam miti dividit undâ,
Quamque sonans fluctu Bachilonius irrigat amnis
Surge age, surge, piger; volucri sis ocyor aurâ
Vatis Apollinei venerandum cernere vultum.
Tu vatem festivus adi, fraterna suoque
Brachia fraterno ferventior injice collo,
Oscula nec cesses fronti libare serenae;
Adventumque viri laeto nunc excipe plausu,
Et tanto gratare homini, gratare merenti.
Nam sibi in Aoniis soli victoria lucis
Est data cantandi; sibi soli celsa virentem,
Jamque diu meritam, servant Capitolia laurum.
Nemo sacras isto, dum scribit, dignior undas
Castalio de fonte bibit; nemo inter honoras
Gratior hoc socias, et qui sciat altius alto
Carmine vel mores varios, seu tristia bella,
Pugnantumque acies, seu grandia dicere facta.
Hic sibi si libeat Romanos texere fastos

Pectine Pierio, et vivaci tradere famae,
Praevalet ingenio, et numeros stellasque vagantes
Noscere, et hibernis tardantia sidera signis.
Pulchra mihi Musisque canit, gratissima Phaebo,
Qualia Tartareis geminâ nece conjugis Orpheus
Ante Deos Herebi cecinit Rhodopeius umbris;
Qualia Cadmaeae dunc conderet ardua gentis
Moenia, qui plectris animavit saxa canoris. »
Sic ait: auratas se vestit lucida pennas,
Et, modo quae liquit, leni petit astra volatu.
Turba suam matrem sequitur plaudentibus alis,
Et sic quaeque suam repetit laetissima sedem.
Audisses coelum cantu gaudere beato,
Vidisses citharas et quae modo plectra tenebant
Excidere, et sparsim repetita per aethera labi.
Anxia non valui miserabilis inter agenda,
Nec valeo sacra jussa sequi; nam tristia vitae
Taedia mille jubent dilectas tempore tanto
Linquere Pierides, et gratos spernere cantus.
Phaebo grata tuo quae possum scribere, quando
Languida mordaces lacerant praecordia curae?
Quando diu cohibet verbis et agente papyro
Audax, ingratus, nimis importunus et asper,
Effrons, insultans, factoque molestus in omni,
Scribere raptori, poenasque indicere culpae?
Arreptas Romanus oves jam clamitat unus
In praedam nunc ire suas, nunc perdere capras;
Hic queritur jumenta rapi; furit improbus alter,

Quod sibi sublatae, dum Rex ferus arma moveret
Impia, frugifero genitae de stipite vaccae.
Ipse meas accuso moras, ipse arguo memet:
Sum tardus, supplebo vices, supplebo meamque
Segnitiem. Tuque interea, mitissime vates,
Da veniam tardo, calamoque ignosce sepulto.

Romae in colle Viminali xxvii Augusti m. cccc. vi.

Tuus Franciscus de Fiano.

DOCTISSIMO VIRO

MUSARUMQUE AMICISSIMO

DOMINO FRANCISCO DE FIANO.

Solverat auricomos Nympharum turba jugales
Aurorae, quae prima polo se pandit eoo;
Frigoreque et flammis omnique calore carentem
Coelestem radiis Sol illustraverat aulam;
Sparsaque per terras animalia cuncta labori
Reddebat rubicunda dies. Me jussa Senatus
Urgebant Veneti Romanam tendere ad urbem,
Oratum ante pedes summi Pastoris: at ingens
Sollicitum propter discrimina multa viarum
Cura dabat; magnum incutiens et fama timorem
Bellorum obsessaeque urbis faciebat inertem.
Cum subito, duce Calliope, devota sororum
Turba habitu, quo visa tibi est, insignis eodem,
Cunctanti et pavido patrii Bachilonis ad undam
Obvia fit, caruroque jubet salvere clientem.
Ipse improviso congressu et voce Dearum
Obstupui. Sic deinde mihi Regina locuta est:
« Nuper ab Aonio trepidum te colle videmus,
Antoni, nobisque tui manifesta timoris
Causa facit, non digna satis quod tardet euntem,
Ut tibi consultum celsà veniamus ab arce

Palladis: ipsa quidem et noster sic sentit Apollo.
Numina si teneris haec tu veneratus ab annis
Implorare soles, quoties locus incidit, in quo
Mens humana parum fidat sibi; credere par est,
Ambages animi modo cum tibi solvimus ultro.
Si tibi ad Herculeas, et mundi extrema, columnas
Ignotum mandaret iter, per mille labores
Praedonumque manus, Venetorum excelsa potestas;
Non erat illius pro majestate Senatus
Declinanda tibi tam pulchri muneris ulla
Conditio. Nunc autem Italis in finibus ingens
Roma adeunda tibi, quae quamvis fracta senili
Sit facie, antiquis et semisepulta ruinis,
Ingenia alta tamen quadam dulcedine rerum
Priscarum ad se se trahit; et spectacula mulcent,
Pressa situ quamvis, hominumque incerta novorum
Judiciis. Quod si ipse urbem satis ante notarum
Esse putas, unoque tuos jam reris avaros
Intuitu satiare oculos; mihi crede, profecto
Falleris. Invenies semper majora; locisque
Innumeris nova Romuleae miracula gentis
Occurrent, ipsi nec adhuc bene nota Quiriti.
Sed quod et excelsum patriae mittentis honorem,
Et quod eam immense famam, quo mitteris, urbis
Vincat; ad innocuum verâ re et nomine sanctum
Pontificem te fata trahunt, quo mitius unquam
Sidus in Ecclesiâ nullum fuit. Aurea mitrae
Stella coronatae seu clavibus addita sacris,

Irradiat splendore novo, pressamque sub atrâ
Tempestate diu et tenebroso turbine cymbam,
Pugnaces inter ventos rabiemque procellae,
Ducet ad optatum stabili cum lumine portum:
Non secus arctoâ regitur ratis omnis ab ursâ.
Ipsa magistra viae scopulos vitare malignos
Admonet, et certis cursum committere ventis:
Hic Sol justitiae terris novus emicat. Illum
Fulgentem radiis virtutum, et avara fugantem
Crimina et annorum scelera et delicta priorum,
Contemplare oculis: est delectabile Solem
Aspicere, et vestri lumen cognoscere mundi.
Adde quod optatos longo jam tempore vultus
Invenies. Ipsum in primis, quem sanctus amicum
Et fratrem faciebat amor, reverentia patrem
Nunc facit. Iste aquilam ad fastigia summa volantem,
Scandentemque super montana cacumina capram,
Signa domus famosa suae generisque vetusti,
Fecit ut ex certo videantur fata dedisse
Indicio, non forte sibi velocius illis
Alta petat virtute suâ: quo cive superbit
Pulchra Cremona diu, nunc se pastore beatam
Sentit, et ascensu cari laetatur alumni.
Sunt duo praeterea diversis partibus orti:
Hunc super Adriaco tulit urbs Justina profundo;
Alter habet patriam Tuscis in finibus, in quâ
Natus et ipse fuit profugâ de matre Petrarca.
Docti ambo sunt, ingeniis praestantibus ambo;

*

Optima uterque colit studia et pulcherrima rerum,
Illustresque ipsis quas nos infundimus artes.
Hos, ut Apostolicam claris virtutibus aulam
Ornaret, pius Antistes ad honora vocavit
Officia, et pedibus sanctis assistere jussit.
Sed meus ille senex tibine ille silebitur uni,
Cui dedimus citharae decus arbitriumque canorae?
Ille graves facilesque modos et dulce canendi
Pondus habet, nostrisque potens dominatur in antris.
Tune viri effigiem memori sub pectore servas?
Non illi ingenium mentemque jocosque senectus
Abstulit: hunc tellus peperit vicina Fiani,
Roma, tibi, sacrisque tuis templisque dicatum.
Cum tecum hos igitur tales mediteris amicos,
Obsessasne vias aut ulla pericula sentis?
Vade, age, quid trepidas? quid inertibus otia curis
Hic teris, atque metu meliora negotia differs?»
Dixerat; et tenues se Diva recepit in auras,
Musarum comitante choro. Tunc totus in ipsum
Pronus iter, torporemque insolitumque pavorem
Excutio: mihi per gladios suadentis imago
Ire jubet; placet inter eos me credere tutum,
Qui magis infestis turbabant omnia telis,
Et sacram hostili vexabant agmine Romam.

Romae apud aedes Pompejanas VIII Semptembris

Tuus Antonius Luscus Vicentinus.

AD MAGNIFICUM

DOMINUM CAROLUM DE MALATESTIS

HORTATORIA
AD PROSECUTIONEM CAUSAE SUSCEPTAE
DE COMPONENDO STATU
ADOLESCENTIUM DOMINORUM VICECOMITUM
PROVINCIAE LOMBARDIAE.

Carole, magnanimis sate progenitoribus, unum
Itala quem gaudet tellus genuisse, nec armis
Nec morum antiquis ducibus gravitate minorem,
Ivisti ad Ligures, tandem impositurus acerbis
Cladibus optatum longo jam tempore finem.
Et bene, qui tantis in tempestatibus illum
Elegere ducem, qui consilioque manuque
Posset opem afflictis speratam impendere rebus.
Et bene tu, qui non extremis casibus ullo
Deficis officio; sed te pietasque fidesque
Curaque justitiae (tibi quam super omnia cordi
Impressit natura) jubent succurrere et urbi
Jam fessae, et pueris celso de culmine lapsis.
Adde, quod hoc opus est, in quod tua sancta voluntas,
Recta et honesta sequens, toto te pectore ducat
Contra perfidiam, contra insidiosa malorum

Consilia, et contra turbantes cuncta rebelles:
Quae contra illustres animi contendere pulchrum
Esse putant, summamque ferunt ad sidera laudem.
Nam quae alia Alcidem virtus adscripsit Olympo,
Aequatum Superis, immortalemque vocatum;
Quam quod ubi in terris monstra exitiosa trucesque
Impietate homines oppressoresque bonorum
Senserat, hos contra pugnaci pectore fortis
Ibat, ut optatam populis daret ipse quietem,
Publicus humani generis defensor et ultor?
Si te Graeca prius, si te Romana vetustas
Vidisset tantis clarum virtutibus, inter
Semideos mirata suos et sacra locasset
Numina, divinos tunc et statuisset honores.
Nam populi plaudentis amor, quibus ille carebat,
Praemia summa dabat; cumque omnes summa vorago
Criminis antiqui tenebris immergeret atris,
Ad libitum fecere Deos natosque Deorum.
Nos vero, nos cuncta Deo speramus ab uno:
Nec dubitamus eum tibi, et his meliora daturum
Qui pacem, qui justitiam, qui foedera mundi,
Qui patriam sanctâ cum religione tuentur.
Quod si tu officium summi ducis esse putasti,
Semper et has magni duxisti principis artes;
Susceptam constanti animo complectere causam,
Quâ nulla in terris fuit unquam sanctior, et te
Digna magis. Pulchram tanto e discrimine partem
Italiae eripies, pacemque et foedera genti

Restitues. Per te antiquis famosa triumphis
Anguigera alta domus, Latiarum gloria rerum,
Larga patens profugis et nobilitatis asylum,
Stabit, et innocui fratres sua sceptra tenebunt.

Vicentiae VIII Septembris

Magnificentiae tuae servitor atque devotus
ANTONIUS LUSCHUS VICENTINUS.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

DOMINUM MICHAELEM STENO

DEI GRATIA

DUCEM VENETIARUM

COMMENDATIO SUI FELICIS PRINCIPATUS

ET LONGAEVAE VITAE PRECATIO.

Vere pater patriae, Michael, justissime Princeps,
Principis officium est cives defendere, et ipsos
Natorum servare loco, manibusque pudicis
Justitiam et pacem cum libertate tueri,
Communemque sui populi praeferre salutem.
Qui facit haec patriae pater est, qui pulchrior unus
Omnibus est titulis, hominum quibus alta superbit
Ambitio; et longe est nomen speciosius istud,
Quam Dominum et Regem populo plaudente vocari.
Ergo ego te patrem patriae, dignissime Princeps,
Jure voco. Tu justitiam, tu publica pacis
Commoda, tu cives patrio tutaris amore.
Non igitur solum Veneti, populusque patresque,
Qui tecum imperii cum majestate triumphant,
Pro te vota Deo faciunt, caput utile votis
Exposcunt, sanctumque Ducem venerantur amantes.
Nos etiam patulis Marci quicumque sub alis
Vivimus, inque tuâ cum pace quiescimus umbrâ,

Longa tibi optamus felicis tempora vitae.
Aurea temporibus, te Principe, saecula nostris
Cernimus, a vitreâ vicinis finibus undâ
Benaci, super usque Padum montesque propinquos:
Quae loca jam Veneti, gens olim dicta, potenti
Nunc tenet imperio regina Venetia gentis.
Haec regio est Italas inter pulcherrima terras,
Dulcis, opima, potens speciosis urbibus, ipsi
Reginae vicina suae, cui plurima fundit
Officiosa brevi labentia flumina cursu:
Quae (veluti humano diffusae in corpore fibrae
Vitalem effundunt calido de corde calorem)
Sic alimenta vehunt, sic illa ex urbe magistrâ
Oppida nostra suâ virtute et robore firmant.
Haec fuit antiquis tellus cruciata tyrannis;
Sed tandem auspiciis, post multos fracta labores,
Libera facta tuis, pacem secura recepit
Depulso graviore jugo, quae gloria soli
Magna Duci, aeterno tibi servabatur ab aevo.
Principe te, crevit Venetûm respublica tantum,
Quantum tercentum non creverat ante per annos.
Crescet adhuc etiam. Te Principe, Jadria quondam
Flammatis infensa odiis totiesque rebellis,
Opportuna situ maris, et per litora circum
Oppida Dalmatiae bellis amissa cruentis
Redduntur, meliusve auro quam sanguine constant.
Postquam igitur tantis dignum te Numina ducunt
Muneribus, vitamque tuam feliciter ornant;

Vive diu, Princeps mitissime, vive, precamur;
Hostibus ut vacuam, terrâque marique potentem,
Crescentemque opibus patriam, dulcique quietam
Libertate regas; et quando ad summa vocabit
Debita siderei Christus te proemia coeli,
Illam inconcussâ florentem pace relinquas.

Majestatis tuae fidelis servitor

Antonius Luscus Vicentinus.

VI Kalend. Aprilis. Vale

AD

JOANNEM DE NOGAROLIS

UT EXERCITIO CORPORIS AC ARMORUM
ET INGENII AC LITTERARUM
TENDAT AD GLORIAM ET VIRTUTEM.
RESPONSIVA.

Egregie o juvenis, quem clarâ ex indole magnum
Promittit spes certa virum; dubitare coegit
Excellens animi specioso in corpore virtus,
Quid tibi sit potius summâ pro laude sequendum;
Ingenio et studiis certandum, aut corpore et armis.
Utraque namque via est. Quae famâ extendere vitam,
Et celebrare homines, et posteritatis ad aures
Nomina clara potest producere, fortibus una
Si quando concessa fuit; fuit altera doctis.
Munus utrumque ingens et amici gratia coeli est.
Namque fere est ita compertum: qui corpore multum,
Ingenio valuere minus. Sic aequa suorum
Providit dispensatrix natura bonorum.
Pauci autem ex omni potuere aetate per ambas
Ire vias, et per bina haec vestigia laudem
Virtutemque sequi. Cato sunt et Caesar et illi,
Qui magni ingenii studiisqne armisque fuere,

Qui scripsere aliis rerum monumenta suarum,
Felices divique habiti. Tu calle profecto
Ire potes gemino, quo te generosa cupido
Laudis agit. Si fulminei te Martis honores
Delectant, natura tibi dedit optima corpus
Herculeum. Quod si primis assueveris annis
Militiae rudimenta pati, et tolerare labores,
Et per cuncta animo servire pericula magno;
Non tyro se aequabit tibi viribus, inter et ipsos
Clarus eris subito veteranos: inclyta quando
Nobilitas radiis virtutem illustrat avitis.
Si vero studiosa tibi sunt otia cordi,
Et magis ingenium placet exercere per artes,
Libera quae quoniam faciebant pectora, nomen
Assumpsere sibi, juvat et sociare sorores
Aonias; et ad haec, genio suadente, benignum
Sidus habes. Sed si quaenam sententia tandem
Consilii sit prima mei tibi noscere curae est;
Postquam firma satis sunt fundamenta juventae
Jacta tibi studiorum, alte quibus omnia possis
Perficere, et magnam paullatim extollere molem;
Hunc florem aetatis, haec membra calentia vivo
Sanguine, primitias vitae mortalis, ad arma
Dirige, militiam validis et discere ab annis
Incipe; et ipse manu cum straveris obvia victor,
Quo sternenda modo melior tu deinde docebis
Consilio. Sic armorum crevere magistri
Egregii ante duces, quorum laus inclyta terras

Implet adhuc. Etenim semper res bellica fortes
Vexit ad astra viros: haec victrix imperat orbi,
Defendit patriam, legesque togamque tuetur.
Non tamen arma velim sic te spectare, relictis
Omnibus his studiis, quae oblectamenta senectae,
Ornamenta ferunt toti pulcherrima vitae,
Ut penitus fugiant armato e pectore Musae.
Has repete interdum. Sint inter prima laboris
Laxamenta tui: quoties tuba desinet acrem
Inflammare animum, toties hunc Musa sonoro
Mulceat, et lassos oblectet carmine sensus.
Historias etiam et Romana exempla videto.
Haec tibi erunt stimuli virtutis, et illa pudebit
Non facere, illustres quae jam fecere priores.
Livius e manibus numquam cadat: ille docebit
Auspiciis quibus orta prius, quo principe, quantis
Consiliis firmata fuit respublica; regum
Diversos mores, majestatemque senatus;
Et causas bellorum et cum quibus hostibus acta;
Quo facto, quo consilio, quo jure per omnes
Crevit in imperium virtus Romana labores;
Illa severa vetus quae disciplina Quiritum
In castris; quae norma domi; quo more quibusve
Legibus Italiam primo, post fortior urbes
Roma peregrinas, fractâ Carthagine, tandem
Strinxerit. Hac avidam laudis ratione juventam
Si formare voles, si Luscho credis amico,
Culmen utrâque viâ celsum virtutis adibis.

In codice membranaceo Bibliothecae Ambrosianae italice signato: parte inferiore M. 4., *in quo plurima continentur Leonardi Aretini, Francisci Philelphi, Gasparini Barzisae, Joannis Lucidi Mantuani, nitide redacto literis saeculi XV. legitur sub hac rubrica:*

« Hic codex fuit Ecclesiae Metrop. Mediol. tandem jussu Illustrissimi Card. Borromei Bibliothecae Ambrosianae fundatoris a R.^{mo} ejusdem Ecclesiae Capitulo emptus fuit anno MDCV.

Pag. 195 *est haec nova rubrica et versus sequuntur.*

VERSUS
DOMINI FRANCISCI PETRARCHAE
VEL QUOD MELIUS CREDO
DOMINI ANTONII DE LUSCHIS VICENTINI
INCIPIUNT.

Vos, quibus alta datur tractare negotia, patres,
Consiliis firmate animos, ac solvite diris
Pestibus, urentes oculorum extinguite flammas.
Nullus amicitiae studium colat; iraque et ardens
Livor et ultrices fugiant a pectore curae;
Affectusque cadant alii; stimulosque nocentes
Pellite in exilium, nec libera corda fatigent.

Cura sit in dubiis examine cuncta salubri
Discutere in medium. Nihil auricularia prosunt
Indicia alterno tacite commissa susurro:
Nec decet in multas numerum distinguere partes;
Nec vagus hinc illinc abeat consultor. Ad unum
State, viri, variosque animi quos quisque profundo
Conceptus sub corde premit reserate sedentes.
Ingenio placet ista quies; placuere Minervae
Otia, tranquillas et amat sapientia sedes.

. . . .

Huc usque codex mihi commodatus fuit. Non amplius.